



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 114. Tartarorum clades a Polonis illata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. Legationem decrevit, cujus princeps erat  
 A.C. 1489. Dunensis Comes unacum Motalbano  
 Britanniae Cancellario, in cujus dexteri-  
 tate Ducissa totam spem suam repositam  
 habebat. Nihilominus tamen anno po-  
 steriori utrinque bellum recrudit.

*Mantambon.*

§. CXIV.

*Tartarorum clades a Polonis.*

*Cromer hist. Polon. l. 29.* Interea Tartari crebris excursionibus Po-  
 loniam ferro, flammaque devastabant; quapropter Casimirus Poloniæ Rex Sub-  
 ditorum lacrimis ac precibus excitatus, Joannem Albertum Filium suum validis  
 cinctum copiis immisit, ut hosce infide-  
 les a Russiæ ac Podoliæ populatione pro-  
 hiberet, Ferunt Tartaros ad ejusmodi  
 hostiles incurfus a Bajazethe fuisse sollici-  
 tatos, qui Valachiam cum exercitu in-  
 gressus, non ita pridem eandem subjuga-  
 bat, quamvis Vaivoda Polonorum suppe-  
 tiis auctus, omnem movisset lapidem,  
 ut hostem repelleret. Jam vero Tartari  
 in Polonia exercitum suum in duas acies  
 partiti sunt, quarum una quindecim milli-  
 bus potissimum Equitum, altera vero de-  
 cem millibus peditum constabat: primam  
 Joannes Albertus aggreditur, cædit, fu-  
 gatque, partoque hoc triumpho ad alte-  
 ram Tartarorum aciem provolat, ean-  
 demque pari clade fundit, deletque, equi-  
 tibus

tibus ad unum omnibus trucidatis; ipse vero insigni geminæ hujus victoriæ gloria nobilitatus inclaruit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1489.

§. CXV.

*Bellum inter Hungaros & Bohemos.*

Hoc anno inter Matthiam Hungariæ, *Bonfin. dec. & Wladislaum Bohemiæ Reges no-4. lib. 8.*

vum, haud tamen diutinum accendebatur bellum, cujus causa sequens extitisse memoratur. Matthias adversa valetudine pressus, cum Hungariæ Regnum repugnante Beatrice conjuge sua, Joanni filio suo Notho relinquere non posset, decrevit, eundem saltem Bohemiæ, cujus titulum cum magna illius regni parte possidebat, Regem constituere; præsertim cum Mediolanensium Dux sororem suam Joanni in sponsam dare recusasset, nisi ille regnum esset adeptus. Ea ergo de causa Matthias in Silesia nonnullos Gubernatores, ut ei constituto pretio urbes suas venderent, sollicitabat, nonnullos vero recusantes armis compellebat: Hinc Wladislaus indignatus, bellum parat, copiasque educit, sed paulo post opera Varadinensis Episcopi placatus est: unde Matthias plurimas urbes, quas coemerat, nemine obluctante quietus possedit, nec ad felicitatis suæ cumulum quicquam defuisse videbatur, quam firmior